



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

8. Actus concupiscibiles quomodo determinantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

nimi multum facit. Contrarium verò huius multum facit ad animi perturbationem. Quis restitit ei, & pacem habuit? Ad ordinationem etiam voluntatis pertinet, vt respectu aliarum virium dominium habeat, & seruituti vitiorum, quæ pessima est, se non subdat. Bernardus. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Et maximè: nisi tu indignius iudices, hominem tibi, quàm vitium dominari.

Iob. 9.

*Lib. 1. de
confid. ante
medium.*

Tertia pars. Actus concupiscibilis & irascibilis determinantur.

CAPVT VIII.

SEquitur de ordinatione virtutis concupiscibilis & irascibilis. Concupiscibilis tendit ad bonum appetitu delectandi. Motus irascibilis est in bonum arduum, vel contra malum, appetitu vincendi. Actus pertinentes ad concupiscibilem sunt concupiscere, gaudere, diligere, & actus contrarij istius sunt respuere, dolere, vel tristari & odire. Concupiscere est appetere sibi bonum, quod nondum habetur. Appetitus verò iste si sit cum intensione, dicitur desiderium. Gaudere est iocundari de boni adeptione, vel eius fruitione. Diligere est alicui bonum appetere, & est propriè respectu alterius, non respectu sui. Contrarium ei quod est concupiscere, est respuere. Respuit verò aliquis bonum vel fastidiendo vel abominando. Abominatio est cum intensione. Contrariū ei quod est gaudere, est dolere, vel tristari. Dolere est affligi ex separatione boni vel conuenientis: vel coniunctione ma-

L 3

li,

li, sed disconuenientis. Contingit etiam aliquid quando de malo proximi dolere, quod est misericordiae: vel de eius bono, quod est inuidia. Ei verò quod est diligere, contrarium est odire. Tres primi actus sunt secundum boni placentiam: tres alij secundum displicentiam. Actus irascibilis respectu excellentiae vel humilitatis sunt quatuor scilicet ambitio, spes, dominatio, contemptus. Ambitio & spes sunt respectu eius quod nondum habetur. Ambitio est appetitus honoris vel excellentiae. Spes verò appetitus eius cum fiducia obtinendi. Dominatio est appetitus honoris obtenti vel gloriatio de illo. Contemptus est reprobatio subiectionis propriae. Contemptus etiam est reprobatio rei vel personae: quia aestimatur vilis à debilitate. Irascibilis sunt quatuor actus contrarij, quatuor praedictis. Primus qui contrariatur ambitioni, est fuga honoris vel excellentiae, quae paruitas spiritus dici potest. Spei contrariatur desperatio: quae est fuga boni ardui propter diffidentiam obtinendi. Dominationi contrariatur humiliatio, quae est amor subiectionis fugiens excellentiam. Contemptui contrariatur reuerentia: quae est veneratio rei vel personae propter eius excellentiam. Actus irascibilis confortantis se contra malum, sunt tres, scilicet, irasci, audere, & insurgere. Contra malum irasci, est vindictam vel punitionem appetere. Audere est de victoria mali praesumere. Ex his sequitur insurgere in destructionem mali, quod est magnanimitatis. Actus irascibilis fugientes malum sunt tres, scilicet poenitentia: quae est fuga vel detestatio

stat io

statio præteriti mali : impatientia , quæ est fuga
mali præsentis: & timor qui est fuga mali futuri.
Et hæc de actu concupiscibili, & irascibili.

De ordinatione actuum concupiscibilis.

CAPVT IX.

AD ordinationem concupiscibilis quantum
ad actum concupiscendi pertinet, vt in bo-
nis terrenis non appetat superflua : sed necessa-
riis sit contenta. Item vt post concupiscentias il-
licitas non eat, sed ab eis se auertat. Bona spiri-
tualia, ad quæ appetenda Saluator monet, appe-
tat intense : temporalia quæ Saluator appetere
dissuadet, si appetit, appetat remissè. Ad ordina-
tionem cõcupiscibilis, quantum ad actum gau-
dendi pertinet, vt non gaudeat de malis vel va-
nis: & vt amplius gaudeat de bonis internis quã
externis: & plus de bonis supernis & æternis,
quàm de bonis infimis & terrenis. Non debet
gaudere de malis propriis vel alienis. Velut in-
fania est, gaudere de malis propriis. Latantur *Pro. 2.*
cum malè fecerint, & exultât in rebus pessimis.
Iniquum est gaudere de malis proximi, vel illi-
us qui te offendit, quod pertinet ad odiũ: vel il-
lius qui respectu tui excellit, quod p̄tinet ad in-
uidiam. Qui lætatur in rûina alterius, nō erit im- *Pro. 17.*
punitus. Puerile est gaudere de vanis. Sen. Fun- *Epist. 23. p. a.*
damentũ bonæ mentis est nō gaudere de vanis. *rum à prim.*
Fundamentũ hoc esse dixi; etiã culmen est. Ad
summa peruênit, qui scit quo gaudeat: qui feli-
citatẽ in aliena potestate non posuit. Super illud
ad Gal. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudium,
&c. dicit Glossa. Elatio animi est de his quæ